Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35426
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

ligentibus se. Tu autem. Lectio.

Et ideo quanto amplius rem communem quam propria vestra curaveritis, tanto amplius profecisse vos noveritis. ut in omnibus quibus utitur transitoria necessitas. superemineat quae permanet caritas.

Transitoria ntas. [nctas] utitur temporalibus rebus temporalibus studiis. in quibus [caritas] semper emineat. quia nihil potest placere deo sine caritate. In cunctis ergo quae agimus. necesse est ut semper emineat charitas. quia ipsa est mater omnium virtutum. ipsa radix omnium bonorum. Haec est via sublimior quae tendit ad celum. de qua paulus ait. Adhuc excellentiorem viam vobis demonstrabo. Multum proficit in hac charitate. qui pro amore dei cuncta quae mundi huius sunt despicit. nichil sibi retinere appetit quicquid habet in commune dividit. Vere per excelsam viam graditur qui calcatis terrenis. mente et desiderio ad celestia sublevatur. Tu autem domine: Lectio

Et ideo quanto amplius: ut supra.

Charitas in dei amore constat et proximi. Amor autem dei in tribus exprimitur. ut nihil remaneat in homine. quod non dilectioni divine subdatur. Nam dominum praecipimur diligere ex toto corde. videlicet ut omnes cogitationes nostras, proferamus ad ipsum. et ex tota anima. ut omnes affectiones animae dirigamus in ipsum: ex tota mente. ut omnem rationem qua intelligimus et discernimus habeamus